

*hic sunt multe abbatie
ydolorum*

Cum ab isto ponte disceditur & itum est xxx miliaribus per ponentem inueniendo continue herbas uineas & campos. inuenitur quedam ciuitas nomine Çonça pulcra & magna ualde in ea sunt multe abbatie ydolorum viuunt quidem gentes de mercimonijs & artibus ibi laborantur drappi aurei & de syrico & pulcre si[n]dones/ 22v^o
& [cum] ab ista ciuitate discedendo itum est per miliare unum inueniuntur due uie. per unam quarum itur uersus ponentem per aliam uersus sirochum & noueritis quod a ciuitate Çonçu usque ad regnum Tayanfu equitatur per prouinciam cathay .x. dietis semper inueniendo multas pulcra ciuitates & castra de magnis artibus & mercimonijs munitas & inueniendo uineas & campos in quibus multum nascitur syricum. sunt omnes gentes domestice propter spissitudinem ciuitatum. & frequentantur ita uie illarum ciuitatum. quod semper inueniuntur gentes transeuntes &ct.

Posquam equitatum est supradictis x. dietis discedendo a çonçu inuenitur quoddam regnum nomine tayanfu. & capud prouincie siue regni est ciuitas quam intrauimus que nominatur similiter tayanfu est magna & pulcra ualde in qua fiunt magna mercimonia & artes multe. fit in ea magna quantitas muniminum que sunt exercitibus magni domini oportuna. habentur insuper ibi uinee multe de quibus in magna habundantia colligitur uinum habent etiam ibi syricum in habundantia. quia multos habent moros & uermes syricum producentes/ cum uero disceditur a tayanfu equitatur septem dietis per ponentes inueniendo pulcra contratas in quibus inueniuntur multe ciuitates & castra in quibus mercimonia multa & artes fiunt sunt in eis multi mercatores qui per multas partes pergunt faciendo eorum lucrum & cum itum est septem dietis inuenitur 23r^o
queda[m] ciuitas nomine pyanfu que est ualde magna & magni ualoris. sunt in ea multi mercatores. uiuunt de mercimonijs & artibus nascitur ibi syricum in maxima quantitate/

adorant ydola

Cum uero transitum est istud flumen & itum est per duas dietas inuenitur quedam nobilis ciuitas nomine Cacianfu. gentes cuius adorant ydola & omnes gentes cathay adorant ydola. ipsa quidem est ciuitas magne mercationis & multarum artium. nascuntur in patria illa in habundantia syricum. çinciber galanga. & spicum & multe alie maneries specierum ex quibus ad nostras partes non feruntur fiunt ibi drapi aurei & de syrico/

*ydolatri xristianj turchi
nestorini & saraceni*

Cum uero disceditur a cacianfu ciuitate superius nominata equitatur vij dietis per ponentem inueniendo continuo multas ciuitates & castra de multis mercimonijs & inueniuntur multa uiridaria pulcra & campi. & tota contrata plena est moris uidelicet arboribus de quibus uermes uiuunt qui syricum producu[n]t/ gentes uero adorant ydola sunt & ibi xpistiani turchi nestorini sunt & aliqui saraceni/ & cum equitatum est septem dietis inuenitur quedam magna ciuitas & nobilis nomine